

David Chyträus

**DE || SPIRITVS || SANCTI DIVI-||NITATE ET BENEFI-||ciis praecipuis.|| Ex
praelectionibus Daudis || Chytraej, edita per || IOHANNEM FREDERVM.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1584

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1041392419>

Druck Freier  Zugang



116

A-E
 A-D
 A-B 12 B
 A-C
 A-D
 A-B
 A-C
 A-E
 A-B
 A-D
 A-B
 A-C
 A-D
 A-E
 A-C
 A-D

Im 4303¹⁻¹⁷
 5/11

7

DE
SPIRITVS
SANCTI DIVI-
NITATE ET BENEFI-
ciis præcipuis.

*Ex prælectionibus Davidis
Chytrej, edita per*

IOHANNEM FREDERVM.




ROSTOCHII

Typis Stephani Myliandri.

ANNO

CID ID XVIIIC.



Humanissimo viro
M. THEODORICO PETRI
Sueco, amico suo carissimo.
S. P. D.

SPIRITVS æterni numen de numine patris,
De patris vni genæ procedens numine nati,
Spiritus is, qui dextra Dei, qui mutuis ardor,
Qui virtus, nodusq; tenax, & copula rerum est,
Condidit omnipotens cum Patre, patrisq; coæuo
Vnigena, ingentis tam splendida corpora mundi,
Cunctaq; viuifico fouit nascentia flatu.

Et quodcunq; bonum est, per eum viuicq; vigetq;
Quo sine nil sapiens, nil felix, nilq; beatum est.

Ergo pium sacro de Numine dogma sonemus;
Ceu Diuina docent nos sancti oracula verbi:
Quæ scrutanda fide, fido enucleanda labore,
Quis repetita satis, satis vlli cognita dicat?

Hæc iterum sunt digna legi, quæ sæpe relecta
Erudiunt renouantq; animos & pectora mulcent.

Talia grata tibi veræ pietatis amanti,
Mi THEODORICE, ingento decorate suauis,
Esse scio: multos etenim mihi notus es annos,
Omnibus assidue mihi factus carior annis.

Hoc igitur tibi dono meæ (pro tempore) mentis
Mnemosynon, librum tenuem, sed magna doctem
Et maiora quidem quam maximus afferat orbis.

IOHANNES FREDERVS
hoc tempore Rector Academiæ
Rostochiensis.

DE SPIRITV SANCTO.

Nillum cogitari melius aut ma-
ius DEI donum potest, quam
quod & Filium redemptorem
nobis dedit, & transfuso in mi-
sellas animas nostras aeterno spiritu suo, na-
turae divinae societatem nobis impertit, & su-
am lucem, sapientiam, iustitiam & vitam
in nobis accendit. Etsi enim magna & mi-
randa Dei opera & beneficia, & diuini erga
nos amoris testimonia illustria sunt, quod
pulcherrimum hoc domicilium caeli & terra
nostra causa condidit ac conseruat, & solem,
lunam, aërem, aquam & cunctas res ter-
ra nascentes, & ordinem politicum, leges &
artes omnes, ad Hominum vsus & utilita-
tes potissimum destinauit: tamen multo am-
plius & sublimius bonum est, quod naturam
humanam initio diuinitati copulatam, &
horrendo primorum parentum lapsu à Deo
auulsam, rursus per filium redemptam sibi
adglutinauit, & in mentes ac corda nostra
Spiritum sanctum suum effundit, qui lucem

verè agnitionis essentiæ & voluntatis diuinae & huius veri amoris in Deo erga nos accendit, & pulsis tenebris falsarum opinionum & dubitationum, veram Fidem firmam assensione amplectentem verbum Dei in mentibus exuscitat, & recta iudicia ac consilia in omnibus vitæ actionibus tribuit. deinde voluntates & corda inflammat, vt firma fiducia in Deo adquiescant & lætentur: sentiant eius præsentiam in doloribus & periculis: ardenti preceatione petant à Deo omnia bona; diligant & celebrent Deum: ac sciant hunc præcipuum & gratissimum Deo cultum esse, verè statuere, se Deo curæ esse, se à Deo recipi & diligere propter filium, & regi Spiritu sancto ad vitam & salutem æternam. Deniq; ciet in cordibus nostris Spiritus Dei tales adfectus & motus lætitiæ, amoris, iustitiæ, pacis, castitatis, sanctificationis, dilectionis &c. quales in archetypo seu ipso Deo lucent. Vt enim Sol pariter sors est lucis & caloris, qui vim vitalem, seu vigorem & vitam cunctis rebus nascentibus impertit: sic tota diuinitas per Spiritum sanctum & illustrat mentes luce recte

agno-

agnoscente Deum, & viuos ac efficaces motus fidei, dilectionis, letitiae, inuocationis & ceterarum virtutum, quae initia sunt vitae aeternae, in cordibus ciet.

Tanta verò Dei bonitas est, vt hoc donum amplissimum, quo cogitari maius nullum potest, non solum largiri & effundere in nos liberaliter velit, verum etiam dulcissimis verbis sua sponte nobis offerat, & ardentibus votis peti & retineri flagitet. Imò ipse Spiritus sanctus immensa bonitate nos praeuenit, & per verbum Euangelij à nobis auditum seu lectum & cogitatum efficax est, & corda à Deo auulsa ad se retrahit, & vera agnitione Dei ac Fide illustrat. Hortatur etiam & obtestatur nos Filius Dei, vt accensa in nobis per Spiritum sanctum Fidei & ceterarum virtutum ac donorum initia exuscitare & augere: & hunc Sapientiae & Iustitiae fontem, & consiliorum actionumq; omnium gubernatorem nobis tribui petamus, addens hanc dulcissimam promissionem. Quanto magis pater vester caelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Sed tanta est proh dolor humani generis

duricies & ingratitude, ut hoc ingens & in-
enarrabile Dei donum, quod aeterna gratitu-
dine & summa reuerentia singuli experere
& tueri debeant, plurimi homines manife-
sta & cyclopica impietate arceant, plurimi
ne quidem curent, aut sibi dari optent, pau-
cissimi gratias Deo ardentes pro hoc munere
agant: multi acceptum eijciant, & suis sce-
leribus excuriant, & dolore afficiant Spiri-
tum sanctum: cuius ut domicilia & sacraria
essent, mentes humanae initio conditae sunt.

Etsi autem nostrarum quoq; mentium
magna caligo est, & multo frigidius ac osci-
tantius, quam debebamus, hoc tantum bo-
num à Deo perimus: tamen consideratione
voluntatis & dulcissimae promissionis diui-
nae, & ingentis nostrae imbecillitatis ac hor-
ribilium lapsuum, qui etiam sapientibus,
non modò Themistocli, Pericli, verumetiam
Aïroni, Dauidi, Salomoni acciderunt,
exuscitati, ardentibus & assiduis votis
hunc Doctorem, consiliarium, gubernato-
rem, παροικητον, Spiritum Dei petamus.
Te igitur omnipotens, aeternae & viue Deus
Pater Domini nostri Iesu Christi, vna cum fi-
lio

lio tuo Domino nostro Iesu Christo & Spiritu
sancto, quem te immensa bonitate in nos ef-
fusurum esse promisisti, supplices oramus, ut
propter Filium tuum Mediatorem, nostri mi-
serearis, & nobis peccata remittas, & Spiri-
tu sancto tuo nostras mentes, voluntates, &
corda sanctifices, accendas & regas, ut te re-
cte agnoscamus & inuocemus, tibi verè cre-
damus, & in omnibus vitæ consiliis & actio-
nibus, præcipuè verò in cruce & ærumnis
piè obediamus. Cumq; non possint sola ratio-
ne & sapientia humana, falsæ & sanaticæ
opiniones, & laquei sophismatum deprehen-
di aut vitari & refelli: tu nos Spiritu san-
cto tuo doceas, & lucem veritatis in no-
stris pectoribus accendas & obsignes, & cor-
da tuo robore confirmes, ut verum de te æ-
terno patre & filio tuo redemptore nostro &
Spiritu sancto tuo testimonium in genere hu-
mano, pia & constanti voce, & totius vi-
tæ obedientia, dicamus, & te in omni æter-
nitate celebremus.

Hæc vota quotidie & ardenti pectore
ad Deum fundere, & beneficia ac dona Spi-
ritus sancti in nos per Euangelion effusa

reuerenter agnoscere, retinere, reueri, exer-
cere, καὶ ἀναστροφή, ut Paulus loquitur,
& excitare animum ad Timorem DE I,
fidem, inuocationem: multò ad veram pie-
tatem alendam utilius est, quàm de im-
perscrutabili natura Spiritus sancti ociosas
speculationes agitare, & rixari de scholasti-
cis argutiis: An pater prius origine produ-
cat Spiritum sanctum, quàm Filius? & an
ratione intellectus vel voluntatis, naturali-
ter vel liberè producat? An pater & filius
sint vnum principium Spiritus sancti vel
duo? An persona Spiritus sancti sola ratione
& notionibus seu proprietatibus, & non es-
sentia constituatur & distinguatur à patre
& filio? & an idem sint relationes, notio-
nes, & actus notionales? An essentia, vel re-
latio, in patre, sit principium processionis Spi-
ritus sancti, & an sit terminus spirationis?
An amor sit proprium nomen Spiritus san-
cti? An pater & filius se mutuò ament a-
more essentiali, qui est Spiritus sanctus? Et
an sit idem amor, quo Deus nos diligit, &
quo nos Deum diligimus? & an sit aliquid
creatum vel increatum? Has ἑρωτάσεις
ποι

μοι γνώσεως ἀντιθέσει καὶ Βεβήλῃς κερ-
Φάσις, nihil ad pietatem utiles, præter-
mittere & vitare Paulus iubet. Itaq; me-
rito etiam ex ecclesiis & scholis nostris ex-
ploſæ sunt. Cùm autem prætextu harum
inutilium disputationum, aliqui nunc veram
& necessariam ecclesiæ Christi doctrinam de
personæ Spiritus sancti diuinitate, simul op-
pugnent, & totam explicationem articuli
de unitate essentia, & tribus personis diuini-
tatis, velut Antichristi hæresin abijciant
& derestentur: necesse est singulos suo loco,
propter Dei gloriam & ecclesiæ salutem, pia
& constanti confessione testimonium veræ
doctrinæ perhibere.

Quare docente & regente mentes no-
stras spiritu Dei, certa & illustra verbi diui-
ni testimonia & argumenta, repetam, quæ
Spiritum sanctum verè & naturam Deum,
æterno patri & filio ὁμοσίον καὶ συυαίδιον
esse demonstrant. ac ut Testimonia scriptu-
ræ cum quodam delectu citari possint, &
λογουχίας vicentur, in initio diuersas signifi-
cationes vocabuli Spiritus, in sacris literis
vsitatas, adhibitis exemplis distinguam.

Vocabulum $\pi\pi\pi$ SPIRITVS, in ge-
nere, naturam spiritualem, seu incorpoream
(carnus & sanguinis expertem) non quie-
tam, aut ociosam, sed cientem, mouentem,
agitantem: & ipsam agitationem seu mo-
tum, & flatum ac halitum significat. Itaq;
& apud Latinos scriptores Deus nominatur
Spiritus agitans & mouens totam mundi
molem. Et mirando Dei consilio sic condita
est rerum natura, vt pleraq; mundi corpora
spiritu viuant & moueantur. Terra suo spi-
ritu seu vi vitali omnes plantas & sata vege-
tat. Ignis spiritu excitatur & augetur.
Aqua tum demum impetum sumunt, cum
illas agitat flatus. Animantia etiam &
Homines viuunt spiritu vitali volitante
per rotam corporis machinam & vim senti-
endi ac mouendi omnibus membris impertien-
te. Imò Anima ipsa, quam à Græca voce
ἀνεμος, & verbo ἀνίμω deriuant, à spiritu
seu halitu nomen habet. Ac vt spiritu vitali
& animali præcipue huius vite corporalis
actiones efficiuntur & conseruantur: ita
noua & spiritualis ac æterna vita, que
est vera agnitio Dei & fiducia ac obedi-
entia &

tia & latitia in Deo adquiescens, accenditur,
& fouetur à spiritu diuino in nostros spiritus
transfuso: qui eos fulgentiori diuina luce, &
motibus erga Deum ardentioribus inflam-
mat. Sed hac collatione omiffa, præcipuas
significationes vocabuli spiritus in sacris lite-
ris vsitatus exemplis illustribus discernemus.

Primum igitur nomen SPIRITVS, præ-
sertim ubi epitheta, Spiritus Dei, Spiritus
Domini, Spiritus Christi, Spiritus sanctus,
Spiritus sapientie, Dilectionis, roboris & si-
milia, vel essentiam, vel beneficia Spiritus
sancti describentia, adduntur, significat Spi-
ritum qui est vnà cum aeterno patre &
filio verè & naturâ Deus seu tertia in
diuinitate persona. Ioel. 2. effundam
Spiritum meum super omnem carnem. Iob.
33. Spiritus Dei fecit me, & flatus omnipo-
tentis viuificauit me. 2. Reg 23. Spiritus
DOMINI locutus est per me, & sermo
eius per linguam meam factus est. Gal.
3. Vtrum ex operibus legis Spiritum accepi-
stis, an ex prædicatione fidei.

Secundò in genere essentiam spiritua-
lem, intelligentem, videlicet vel Deum
ipsum

ipsum, vel Angelos bonos aut malos,
vel animam rationalem seu Mentem
Hominis denotat. Ioh. 4. Deus est Spiritus
i. essentia spiritualis, efficax, non moles
corporea. Psal. 104. Qui facis Angelos tuos
spiritus, & ministros tuos flammam ignis i.
essentias lucidas, quæ claritate, & celeritate,
agilitate, flammam superant. Eb. 1. Nonne
omnes sunt ministri spiritus. De malis An-
gelis Ephes. 2. Qui est Spiritus nunc agens
in filiis contumacibus. Match. 12. Cum
spiritus immundus exierit ab homine, assu-
mit alios septem spiritus se nequiores. De
Animis humanis. Actor. 7. Domine Je-
su suscipe spiritum meum Psal. 30. In ma-
nibus tuis commendo spiritum meum. Rom. 8.
Ipse spiritus testimonium perhibet spiritui
nostro, quod sumus Filij Dei. Eccles. 12. Spi-
ritus reuertetur ad Deum, qui dedit eum.

Tertio. Significat voluntatem hominis,
seu animi sententiam, & veros motus seu
AFFECTVS **CORDIS** humani, à
Spiritu sancto exuscitatos, vel alioquin elici-
tos. Iohan. 4. Veri adoratores adorabunt
patrem spiritum & veritate s. vero spiritum,
seu

sen vero & ardenti motu cordis per Spiritum sanctum accenso, non externis ceremoniis aut gestibus simulatis. 1 Cor. 4. In virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis. Prouerb. 17. Spiritus tristis (animus tristis seu affectus tristitie) exiccat ossa. Prouerb. 11. Qui fidelis est spiritus, der von hertzen treu ist. Prouerb. 29. Totum spiritum suum profert stultus. i. quicquid sentit, seu in animo habet, id effundit. Matth. 5. Beati pauperes spiritu. i. vero motu cordis, seu ex animo obedientes Deo in paupertate.

Quarto. DONA & beneficia Spiritus sancti, gratiam Dei, sapientiam, zelum, constantiam, robur in confessione: Item Dogmata & Doctores designat. Gal. 3. Cum Spiritu ceperitis, nunc carne consummamini. 1. Cor. 2. Verum non spiritum mundi accepimus. 1. Thess. 5. Sectatores estis spirituum. i. donorum spiritualium, quae 1. Cor. 12. recensentur. 1. Ioh. 4. Non omni spiritui (Dogmati seu Doctori) credite, sed probate spiritus an ex Deo sint. 1. Cor. 14. Spiritus (dogmata, enarra-

rio-

tiones) Prophetarum (interpretum scriptura prophetica) prophetis subiecti sunt.

Quintò: Animam & vitam, quæ est *ἐνδελείχεια* seu continuata & perennis motio corporis physici organici, communis homini cum cæteris animantibus: Item Halitum, qui ex ore efflatur seu spirationem & respirationem, quæ refrigerandi caloris nativi causa, animantium vita necessaria est, declarat. Eccles. 3. Sicut homo moritur, ita moritur iumentum & Spiritus vnus est in omnibus. Psal. 104. Auferes spiritum eorum & deficient. Esa. 2. Cessate ab Homine, cuius spiritus in naribus est, id est, non confidite auxiliis hominum quorum vita incerta & fluxa est, quam vnà cum halitu subito efflare possunt.

Postremò vocabulum Spiritus vsitatissimè etiam pro VENTO usurpatur, qui est agitatio aëris, partim sua vi & agilitate, partim ab aliis fluctibus aëris, supra terram lateraliter moti. Psal. 103. Homo sicut foenum, dies eius, tanquam flos agri sic effloreat: Quia spiritus afflabit eum, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum. Amos 4.
Ecce

Ecce ego formans montes & creans spiritum;
Eccles. II. Spiritus via, quæ sit, ignoras.
Mich. 2. Si essem vir ambulans spiritus, id est
ventosus, vanus, & loquerer mendacium,
tunc essem Propheta pro populo isto.

Sed omisso hisce significationibus, quæ
nihil ad institutam doctrinam de Spiritu San-
cto explicationem pertinent, ad primam re-
deamus: & Epitheta, quæ naturam & bene-
ficia Spiritus divini aliquo modo describunt,
consideremus. Nominatur enim usitatissi-
me Spiritus S. ANCTVS .h. perfectè mun-
dus et iustus, omnis viciorum macula & labis
expers. Quo Epithero non tantum à Diabolo,
spiritibus immundis & turpitudine pollutus
discernitur, verumetiam nos homines ab eo
sanctificari .h. à peccatis mundari, & iustos
ac castos & Deo sacros reddi, docetur.

Spiritus DEI, & Spiritus Filij
Dei, seu Christi, vocatur Rom. 8. Gal. 4.
1. Pet. 1. Vt eum ex Deo patre & filio pro-
cedere, & utriq; ὁμοῦσιον seu eiusdem cum
æterno patre & Filio essentiæ intelligamus:
1. Ioh. 4. In hoc cognoscimus, quod in eo
manemus, & ipse in nobis, quia ex spiritu
suo

suo dedit nobis. Itaque & Spiritus
adoptionis Filiorum, testificans nos esse
filios Dei, in Christo adoptatos, & arrhabo
hæreditatis seu pignus certòs nos reddens
de hereditate seu vita aeterna propter Chri-
stum nobis donandâ vocatur Ephes. 1. 2. Cor.
1. 5. Nam כרבן verbum Ebraum, fideiubere
sive Spondere, & כרבן Chaldaice, pignus
sive hypothecam significat, quæ dari solet cre-
ditori, donec debitum solvatur.

Spiritus sapientix, gratix, precum,
consilij, fortitudinis, dilectionis ap-
pellatur ab effectibus, quia sapientiam, hoc
est, veram agnitionem Dei & Domini no-
stri Iesu Christi per Euangelion & Fidem sta-
tuentem se esse in gratia Dei, & veram in-
vocationem in mentibus hominum accendit,
& in omnibus arumnis & periculis pios iu-
vat consilio, & robore suo confirmat, ut mu-
nici ijs armis, quæ Ephes. 6. recensentur,
nullis illecebris aut terroribus à vera pietate
deficiant. Accendit & veram dilectionem
in corde, & veram consolationem ac lati-
tiam in Deo adquiescentem.

Sic autem hæc qualicumq; descriptio Spi-
ritus

ritus sancti, ex certis & illustribus verbi di-
uini testimonii coagmentata. SPIRITVS
S ANCTVS est tertia persona diuini-
tatis, procedens à Patre & Filio, & v-
triusq; oppositos & owardies. Qui in prima
creatione vna cum Patre & Filio fouit
& viuificauit omnes res nascentes, &
postea omnibus temporibus mittitur
vt ministerium docendi & Prophetarum
seu doctorum ecclesie gubernet, & per E-
uangelion corda audientium regeneret
& sanctificet, hoc est, nouam lucem veræ
agnitionis Dei, veram Fidem, consolationem
in omnibus arumnis, veram iustitiam, vi-
tam & letitiam in eis accendat.

Cùm autem hæc doctrina de tribus perso-
nis diuinitatis procul extra mentis nostræ
conspectum posita, & humane rationi ab-
surda & tetra esse videatur: omnibus etati-
bus multi prophani homines, vt Ebion, Ce-
rinthus, Samosatenus, Arius, Phosinus,
Mahomet, & nicam tantùm esse personam di-
uinam contenderunt. Et nunc Michaelis
Serueti Aragonis discipuli, eundem errorem
sed paulò aliter comprum in theatrum redu-

tunt, dum prætextu dicti Christi, Hæc est vi-
ta æterna, ut agnoscant te solum verum De-
um, & quem misisti Iesum Christum, (quod
dictum Arius deprauans, & Filium ac Spi-
ritum sanctum à solius veri Dei nomine ex-
cludi fingens, velut præcipuam basin sue sen-
tentia posuit) nusquam Spiritum sanctum
Dei appellatione dignantur, imò disertè ne-
gant Spiritum sanctum esse personam diui-
nam.

Ut igitur de re tanta mentes nostræ rectè
erudiantur & confirmentur: **DECEM**
ARGUMENTA ET TESTIMONIA,
firma & illustra recitabo, quæ **SPIRI-**
TVM SANCTVM, tertiam diuini-
tatis personam, seu verè & natura **DEVM**
ESSE, æterno patri & filio ὁμοῦπον καὶ
σὺν αὐτῷ διὸν confirment.

Prima initia & fundamentum ac intro-
itus religionis & vitæ Christianæ est **BA-**
PTISMVS: per quem vnicus verus Deus,
& æternæ Ecclesiæ suæ societati nos primùm
inserit, descriptionem veri Dei Patris Filij &
Spiritus sancti, ad cuius agnitionem, inuoca-
tionem, & cultum verum Baptismo initia-
mur.

mur, & summam doctrinæ Ecclesiæ de perso-
na & beneficiis filij Dei Domini nostri Iesu
Christi, de persona & beneficiis Spiritus san-
cti, de Fide applicante beneficia Dei, de veris
& summis cultibus DEO præstandis ab Ho-
mine Christiano, de discrimine Ecclesiæ &
gentium, de salute & vita piorum perpetua
& de condemnatione ac pœnis impiorum æ-
ternis, Ecclesiæ tradit. De hisce locis omni-
bus, qui in tota religione Christiana præcipui
sunt, testimonia & doctrinam illustrem con-
tinent verba Baptismi, Euntes docete omnes
gentes, & baptizate eos in nomine Pa-
tris & Filij & Spiritus sancti, docentes
eos servare omnia, quæ mandavi vobis. Qui
crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit:
Qui verò non crediderit, condemnabitur.

Est autem Baptismus, $\sigma\upsilon\upsilon\epsilon\iota\delta\eta\sigma\omega\varsigma$ ἀπα-
θῆς ἐπιπόνημα εἰς Θεόν, stipulatio Bonæ con-
scientiæ erga verum Deum, vt 1. Pet. 3. defi-
nitur. Significat enim ἐπιπόνημα, mutu-
am obligationem, ex interrogatione & re-
sponsione partium, seu mutua promissione
vtriusq; partis, contractam. Vt igitur in fœ-
deribus vtraq; pars suam voluntatem de mu-

tuis auxiliis, benevolentia, & Fide præstāda disertis verbis exprimit: ita in Baptismo verus Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus hominem baptizatum in fœdus æternæ salutis recipiens, proficitur, se propter Filium mediatorem, nos naturâ filios iræ & æternæ damnationis, à peccatis abluere & mundare, & per Spiritum sanctum regenerare & renouare, ut filij Dei, & hæredes iustitiæ & salutis æternæ efficiamur. Hanc promissionem Fide amplectens baptizatus, vicissim suam Fidem & obedientiam Deo promittit & obligat, quòd videlicet hunc vnum solum verum Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum agnoscere, credere, inuocare, colere & ipsius mandata seruare velit. Hanc mutuam obligationem & descriptionem veri Dei disertè continent verba, Baptizate eos εἰς ὄνομα in Nomen, hoc est, ad agnitionem, inuocationem & celebrationem huius vnus veri Dei patefacti dato filio mediatore & misso spiritu sanctificante. Hunc vnum solum agnosces esse verum Deum conditorem rerum, videlicet Patrem, Filium & Spiritum sanctum, qui te per Baptismum à peccatis

peccatis abluit, & in gratiam ac nomen su-
um, ut nunc filius Dei nomineris, recepit,
Hunc inuocabis fiducia filij mediatoris, &
petes te à spiritu sancto gubernari & regi: e-
umq; coles omnibus officiis, quæ in verbo à se
tradito præcepit.

Vt autem vnum Baptisma est, quo omnes
Christiani vero DEO consecrati sunt: sic
vna Fides est, & vnus est verus Deus, cum
quo fœdus in Baptismo omnes fecimus. Cum
igitur non tantum in nomen Patris & Filij,
verum etiam Spiritus sancti baptizemur, &
ad eiusdem honoris societatem cum æterno
Patre & Filio, Spritus sanctus quoq; adiun-
gatur, euidentissimè apparet Spiritum sanctū
etiam, eadem diuinitate, potentia, maiestate,
gloria & honore cum æterno patre & filio,
& verè ac naturâ Deum esse, sicut Basilius ex
his ipsis baptismi verbis ratiocinatur in ex-
emplo Fidei, quod Eustathio Sebasteno præ-
scripsit. Δὲ ἡμᾶς βαπτίζουσι μὲν, ὡς παρε-
λάβομεν: πισθεὶν ἦ, ὡς βαπτίζομεθα: δο-
ξάζειν δὲ, ὡς πεπιστεύκαμεν, πᾶσι θεοῖς καὶ ὑπὸν
καὶ ἅγιον πνεῦμα. ἀφίσταται δὲ τῆς κεινω-
νίας τῆ κλισμα λεγόντων, ὡς Φανερωῶς βλα-
σφημοῦντων.

Oportet nos baptizari sicut accepimus:
Credere autem sicut baptizamur; glorificare
autem sicut credimus Patrem & Filium &
Spiritum sanctum. Fugere autem ut palam
blasphemos eos, qui spiritum sanctum aiunt
creaturam esse. Idem Baptismi nostri re-
stimonium perspicue etiam de personarum
distinctione nos admonet, Quod videlicet
Spiritus sanctus non sit ipse Pater suo
afflatu pectora nostra concitans & ac-
cendens, nec sit affectus seu motus in homine
creatus, sed sic persona à patre & filio vere
& realiter distincta, & essentia per se substi-
stans ac efficax.

Pater enim non est alius à se ipso. At-
qui spiritus sanctus est alius à patre. Ioh.
14. Rogabo patrem & alium paracletum
dabit vobis, spiritum veritatis: & in verbis
Baptismi disertè à patre & filio discernitur.
Ergo non est ipse pater afflans & sanctifi-
cans regeneratus.

Deinde Pater in Baptismo Christi cla-
ra voce discernit à se Spiritum sanctum,
Ioh. 1. Super quem videris spiritum de-
scendentem, & manentem super eum, hic
est

est qui baptizat in Spiritu sancto. Nihil verò idem distinctum est à se ipso, Vnde efficitur Spiritum sanctum non esse ipsum Patrem.

Præterea Filius Dei disertè inquit, à se mitti Spiritum sanctum, Iohan. 15. Cum venerit paracletus, quem ego mittam à patre. Atqui persona Patris non mittitur à Filio. Ergo Spiritus sanctus non est ipse Pater.

Multò minus est adfectus aut motus, seu donum in homine creatum, sicut Paulus disertis verbis personam Spiritus sancti distributricem donorum, discernit à donis ipsius, seu operationibus creatis. 1. Cor. 12. Huic per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ per eundem Spiritum &c. Omnia autem hæc efficit vnus & idem Spiritus, distribuens seorsim vnicuiq; sicut vult. Item Rom. 8. Ipse Spiritus testimonium perhibet Spiritui nostro. Et Actorum 15. Visum est Spiritui sancto & nobis. Est igitur Spiritus sancti persona à Spiritu seu animo & mentibus Apostolorum distincta. Sicut etiam in Baptismo Christi

peculiaris specie corporali, extra mentes hominum apparet. Non igitur est affectus seu motus in corde creatus. Qui cum sit accidens, non potest esse separatim extra subiectum, cuius est accidens. Et Iob. 16. ait Spiritum sanctum esse auditorem arcani colloquii diuinitatis, & Doctorem à patre & filio distinctum. ὅταν δὲ ἔλθῃ σπείνος, τὸ πνέμα τῆς ἀληθείας, ὁδὴ γήσει ὑμᾶς, εἰς πᾶσων τὴν ἀληθείαν: καὶ ὅσα ἀκούσῃ, λαλήσει, &c. Hæc non congruere motui seu agitationi creature, sed de Persona necessariò intelligi oportere, manifestum est. Redeo igitur ad Testimonia & argumenta diuinitatem Spiritus sancti confirmantia.

II. Solus verus Deus est creator & conseruator cœli, terræ, hominum & aliarum rerum omnium. Esa. 41. Dominus Deus sempiternus creauit terminos terræ, Quis adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit. Atqui clarissima sacræ scripturæ testimonia confirmant, Spiritum sanctum vnà cum Patre & Filio cælum & omnes res ceteras creare & conseruare. Iob. 33. Spiritus Dei fecit me & spiraculum omnip-

nipotentis uiuificauit me. *Iob. 26. Spiritus
Dei ornauit caelos. Psal. 33. Verbo Domini
(λόγῳ τοῦ πατρὸς) caeli firmati sunt, & spi-
ritu oris eius (non creato sed creante) omnis
exercitus (omnes stella) eorum. Psal. 104.
Emittes spiritum tuum, & creabuntur, &
renouabis faciem terra. Haec dicta perspicue
docent, non modò Ὁμῶν αἰωνίου Patris &
Filij fuisse Spiritum sanctum in prima caeli
& terra conditione, verum etiam perpetuò
seruari & sustentari ab eo rerum naturam:
quotannis ab eo creari fruges, animantia, ho-
mines, & renouari faciem terra, sicut ver-
no tempore totum mundum velut renasci,
terram frugibus & herbis, arbores frondibus
floribus & fructibus ornari videmus. Hanc
renouationem terra & procreationem re-
rum nascentium, Spiritus diuini opus esse,
Psalms testatur. Ac eodem pertinent di-
cta Sapien: 1. Spiritus Domini repleuit or-
bem terrarum, & hoc (πνεῦμα) quod con-
tinet (sustentat, seruat & fouet) omnia,
scientiam vocis habet, id est, omnia hominum
dicta & facta videt & intelligit.*

Genes. 1. Spiritus Dei souebat aquas.

b 5

Has

Hæc enim vis est verbi מרחם, quod Basilius his verbis interpretatur: Σωθευαλπε κη
εξωσγόμεν τῶν τῶν ὑδάτων φύσιν κατὰ τῶν
εἰκόνα τῆς ἐπωαζούσης ὀρνιθῶν, κη (Ζωπ-
κλῶ ἵνα δώσωμιν ἐνείσῃς τοῖς ὑποθαλασσο-
μενοῖς, fouebat & vinificabat molem a-
queam, (cui terra immersa erat, & ex qua
digesta & expolita res omnes condita sunt)
sicut avis incubans fouet ova, eisq; vim vita-
lem impertit. Ex hac emphasi vocabuli sum-
pta est hæc dulcis precatio D. Præceptoris:

Spiritus vt Domini nascentia corpora fouit,

Cum manus artificis conderet ipsa Dei:

Sic foueat cœtus, qui Christi oracula discunt

Accendatq; igni pectora nostra suo.

Et ecclesia canit: Veni creator spiritus,
Mentes tuorum visita, Imple superna
gratia, Quæ tu creasti pectora.

Ne verò cauilletur aliquis, has phrasas,
spiritu oris eius, spiritus Dei, non de persona
à Deo patre distincta, sed vel de halitu aut
verbo ex ore Dei procedente, vel de potentia
Dei aut flatu creato intelligi debere: in
conspectu sint testimonia, quibus Spiritum
sanctum, non ipsam personam patris agitan-
tem

tem nec flatum seu motus in homine creatos,
sed essentiam per se subsistentem & à patre
ac filio distinctam significare, initio osten-
dimus. sicut Basiliius gravissime admonet.

Πνεῦμα δὲ σόμα | & ἀκρόντες, ὅσα ἀνθρωπί-
νως ἀκώμεν, ἀλλ' ὡς ὅτι θεὸς πρέπον ἐστίν,
ὡσπερ καὶ τὸ λόγον. ἔτε γὰρ ὁ λόγος ῥῆμα θε-
λούμενον, ἀλλ' ὡς ὁ ψαλμωδὸς φησὶν, εἰς τὸ
αἰῶνα κύριε ὁ λόγος σὺ θεμενίει ἐν τῷ σῶ-
ματι. οὔτε τὸ πνεῦμα θεμενίει τίς ἐστὶ
πνοή, ἀλλ' ἰσῶσα καὶ μέγιστα. ποδὸ γὰρ πορευ-
θῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματος σὺ, φησὶ δαβὶδ.

III. Solius veri Dei proprium est ubiq; esse & omnia implere, ut Jerem: 23.
dicitur, Nunquid non cælum & terram ego
impleo dicit Dominus, Et de omni presentia
Dei, notus est versiculus, πάντα γὰρ ἐστὶ,
πάντα καὶ βλέπει θεός. Esse autem spi-
ritum Dei ubique, & omnia implere, præter
usitata dicta: Spiritus Domini replevit or-
bem terrarum: Item: Quo ibo à spiritu tuo?
si ascendero in cælum, tu illic es: si descen-
dero in infernum, ades &c. demonstrant
etiam hæc Christi verba ad Apostolos to-
to orbe terrarum disjungendos: Accipite
spiritum sanctum. Accipietis virtutem

Spiritus sancti, & eritis mihi testes usq; ad
fines terræ. Cùm igitur Spiritus sanctus non
tantùm generali præsentia omnibus creatu-
ris ubiq; locorum totus adsit, verùm etiam
in Apostolis & omnibus piis toto orbe diuisis
inhabitet, perspicuum est eum non creatu-
ram certo loco definitam, sed verè & natura
Deum esse.

Nam solius Dei seu nature increatae ac
æternæ proprium est, mentes & corda plu-
rium simul substantialiter inhabitare, & sui
communicatione implere. At Spiritus san-
ctus inhabitat mentes & corda omnium &
singulorum piorum, & quidem simul capitur
à singulis, & creaturas sapientiæ & virtutis
capaces communicatione sui implet 1. Cor. 3.
Templum Dei estis & Spiritus Dei habitat in
vobis. 1. Cor. 6. Corpus vestrum est tem-
plum Spiritus sancti, qui in vobis est, quem
habetis à Deo. Act. 2. Et impleti sunt om-
nes Spiritu sancto. Act. 4. Cùm orassent,
morus est locus & impleti sunt omnes Spiri-
tu sancto. Act. 7. Stephanus cùm plenus
esset Spiritu sancto intentis in cælum oculis
vidit gloriam Dei &c. Hinc firmissimè ra-
tioci-

tiocinamur, Spiritum sanctum esse naturam
increatam & diuinam.

IIII. Solius veri, omnipotentis & eterni
Dei propriae actiones sunt, iustificare & vi-
uificare, seu liberare homines à peccato &
morte, & restituere iustitiam & vitam æ-
ternam. Vt autem æternus pater mortuos
peccato resuscitat & viuificat, & Filius quos
vult viuificat: Ita & Spiritus sanctus
est viuificator, liberans à peccato & mor-
te. Ioh. 6. Spiritus est qui viuificat. Rom.
8. Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me
à Lege peccati & mortis. Item. Si autem
spiritus eius, qui suscitauit Iesum ex mortuis,
habitat in vobis: qui suscitauit Christum ex
mortuis, viuificabit & mortalia corpora ve-
stra per inhabitantem spiritum suum in vo-
bis. I. Cor. 6. Sed ablui estis, sed sanctifica-
ti estis, sed iustificati estis, per nomen Domini
Iesu, & per Spiritum Dei nostri. Est igitur
Spiritus sanctus verè & naturà Deus, æter-
no patri & Filio opozor.

V. Illustre testimonium confirmans Spi-
ritum sanctum personam diuinam & omni-
potentem esse, & discernens eum à donis seu ef-
fectio-

fectionibus creatis est, Pauli concio 1. Cor. 12.
Nemo potest dicere Dominum Iesum nisi in
Spiritu sancto. Discrimina autem donorum
sunt, sed idem spiritus. & discrimina mini-
steriorum sunt, sed idem Dominus. & discrimi-
nata effectuum sunt, sed idem est Deus, qui
efficit omnia in omnibus. Quaecunq; autem
efficit Deus, eadem & Spiritus sanctus effi-
cit, ut statim subiungit Paulus: Omnia au-
tem haec efficit vnus & idem spiritus, diui-
dens seorsim unicuiq; sicut vult. Non igitur
dubium est Spiritum sanctum verè & natu-
râ Deum, Deo patri & Domino nostro Iesu
Christo $\theta\upsilon\omicron\varsigma\omicron\upsilon\upsilon$ esse, sicut ex hoc ipso loco
D. Ambrosius colligit. Si Spiritus san-
ctus idem Dominus est, & Dominus idem
Deus est, tres vnus Deus est. Cum enim
Spiritus sancti gloria & potestas & natura
Dei est, & Dominus Iesus idem est in na-
tura quod Deus est: vnus utiq;, Spiritus
sanctus, & Dominus Iesus, & Pater, Deus
est. Et singuli enim Deus vnus, & tres De-
us vnus: Deniq; operante vno tres operari
dicuntur, ut trinitatis mysterium in vnus Dei
natura & potestate claudatur, cum sit im-
mensum.

V I.

VI. Huic concioni Pauli addantur Testi-
monia, in quibus disertè DEI, & DOMI-
NI seu IEHOVÆ nomen Spiritui sancto tri-
buitur, ut Esa. 6. Audiui vocem DOMI-
NI (Iehouæ veri Dei) dicentis: vade &
dic populo huic: audite audientes & nolite
intelligere, &c. Hanc Iehouæ concio-
nem citans Paulus Acto. 28. inquit: Sanè
benè Spiritus sanctus locutus est per Esaiam
Prophetam ad Patrès nostros dicens: vade &
dic ad populum istum, auditu audietis &
non intelligetis. Hinc firmissimè ratio-
namur, Spiritum sanctum, qui per Esaiam
locutus est, esse Iehoua seu verè & naturà
Deum.

Acto. 5. Petrus Ananiàm accusat quòd
mentitus sit Spiritui sancto: & statim addit:
Non hominibus mentitus es sed Deo. Inde
evidentiè sequitur Spiritum sanctum
esse Deum. 1. Cor. 6. Corpus vestrum
est Templum spiritus sancti, qui in vobis est.
Glorificate ergo & portate Deum in corpo-
re vestro. Citatur & illud ex secunda
ad Corinth. 3. ὁ κύριος τὸ πνεῦμα ἐστίν,
id est, Dominus est ille spiritus, Et paulò
post.

post, Transformamur in eandem imaginem
απο κρυπτου τωδ'ματ & à Domino spiritus,
seu à spiritu qui est Dominus. Ambrosius
etiam illud Philip. 3. allegat. Nos sumus cir-
cumcisio οὐ τωδ'ματι δεῶ λητεδ'οντες, qui
spiritui Deo seruiamus, & gloriamur in Chri-
sto Iesu. Sed hæc imbecilliora relinquo.

VII. Omnia etiam arcana & profunda
consilia & iudicia Dei, scire sine reuelatione
nemo potest, nisi ipse Deus. Vt enim nemo
hominum nouit ea quæ hominis sunt, nisi spi-
ritus hominis (mens intelligens & iudicans)
qui est in ipso: ita & quæ Dei sunt, nemo
nouit nisi spiritus Dei, per quem Deus nobis
reuelauit ea, quæ oculus non vidit, & auris
non audiuit, & in cor hominis non ascende-
runt, quæ preparauit Deus diligentibus ipsum.
Nam spiritus omnia scrutatur etiam pro-
funditates Dei, de quibus Roma. II. dicitur.
O profunditas amplissimæ sapientiæ & scien-
tiæ Dei, quàm imperscrutabilia sunt iudicia
eius, quàm imperuestigabiles viæ eius. Quis
enim cognouit mentem Domini: aut quis
consiliarius eius fuit? Cùm igitur spiritus
etiam abdita & arcana Dei consilia & iudi-
cia per-

etia peruestiget & cognita habeat, nequaquam creatura existimari debet: praesertim cum sit spiritus sapientiae & scientiae, non participatione alieni boni, sed ipse essentialiter sapiens & bonus, seu fons & autor sapientiae & doctrinae, & alios sapientiae & sanctitatis participes efficiens. Cum autem alius sit spiritus sanctus à creaturis, quis sanctificat: non potest esse eiusdem naturae cum ceteris creaturis, quae eum recipiunt. Quòd si alius est à creaturis, necesse est eum increatum & verè ac naturà Deum esse.

VIII. 1. Ioh. 3. Per hoc nouimus quod habitat in nobis (Deus) ex spiritu quem dedit nobis. 2. Cor. 6. Vos enim templum Dei estis uiuentis, sicut dixit Deus, inhabitabo in eis. Item 1. Cor. 3. Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis. Cum igitur inde certum sit diuinitatem fontem uitae & sapientiae, in nobis habitare, quia spiritus sancti domicilia & templa sumus: perspicuum est, spiritum sanctum, quo in nobis habitante, participes diuinæ naturae reddimur, eiusdem cum Deo naturae esse.

IX. Non minus omnipotentiae diuinæ

c

opus

opus est Incarnatio filij Dei ex Maria vir-
gine, quàm ipsa rerum creatio. Ierem: 31.
Nouum creabit Dominus in terra: fœmina
circumdabit virum, id est, sola virgo seu fœ-
mina sine viri coniunctione, concipiet in ve-
ro promissum Messiam. Cùm autem admi-
randus hic virginis partus, sit Spiritus san-
cti opus, Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet
in te. Matth. 1. Quod in ea genitum est, à
Spiritu sancto est: sequitur Spiritum san-
ctum quoq; verè & naturâ Deum esse. Quod
verò cauillantur aliqui, Spiritum sanctum
etiam Christi patrem fore, si ab eo genitus es-
se in alio virginis dicatur, Respondeo: Pa-
trem esse, qui ex sua substantia Filium produ-
cat, & substantiam suam in genitum trans-
fundat. Cùm autem Spiritus sanctus non ex
sua substantia, sed ex virgine Maria massam
sumserit, ex qua sanctificata corpus nascentis
Messiæ formauit: manifestum est, nō propriè
nec rectè eum posse patrem Christi appellari.

Possunt & multa alia argumenta &
testimonia colligi. Matth. 12. Christus in-
quit, Blasphemia in Spiritum sanctum non
remittetur hominibus. Et qui dixerit ver-
bum

bum contra Filium hominis remitteretur ei.
Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum
non remitteretur ei, neq; in hoc seculo, neq; in
futuro. Cum igitur tanta sit atrocitas pecca-
ti in Spiritum sanctum, ut nullo unquam
tempore remittatur, perspicue apparet non
esse creaturam Spiritum S. verum etiam ipsi
Christo, quatenus homo est, antecellere.

Item, Regenerare homines, ut ex Filiis
ira & damnationis, Filij Dei fiant, accen-
dere lucem verae doctrinae, confirmare animos
vera & efficaci consolatione, qua mortem
& omnia supplicia contemnere possint, im-
pertire gratiam Dei, dilectionem, mittere
Apostolos, conseruare, defendere & regere
Ecclesiam &c. solius veri Dei opera & ἀξί-
ωπατα sunt.

Didymus etiam illud Ioh. 16. (Ex meo
accipiet) velut testimonium ὁμοούσιος Filij
Dei & Spiritus sancti allegat. Quia statim
addit Filius Dei, Omnia, quae habet, pater,
mea sunt. i. sum ὁμοούσιος et equalis Patri seu
omnem essentiam, maiestatem, omnipotenti-
am, gloriam, quam habet Pater, ego etiam
habeo. Cum igitur nihil sit in diuina essentia
c 2 patris

patris & filij, quod non sit diuinum, æternum, omnipotens, & Spiritus sanctus ex patris & filij essentia eadem accipiat: necesse est ipsum quoq; verè & naturâ Deum, & Deo patri ac Filio ὁμοῶτον esse.

Præterea Ioh. 20. Christus afflans Apostolos imperciuit eis Spiritum sanctum & flando ostendit, quod spirando occultè dedit: Hinc ex diuina Filij Dei essentia Spiritum sanctum procedere & patri ac Filio ὁμοῶτον esse ratiocinantur. Sed cum argumenta per-spicua & illustra à propriis solius nature diuina & omnipotentis actionibus sumpta, prius recitauerim; non volo in his arcanis, quæ nulla oratione exhauriri possunt, & de quibus piè, reuenter, & sobriè cogitandum est, immorari prolixius. Sed studiosos hortor, ut beneficia Spiritus sancti potius, quàm ociosas speculationes de modo processionis & arcana natura Spiritus sancti considerent, & se ad veram & ardentem gratitudinem pro hoc summo Dei munere exuscitent, quòd spiritum suum fontem omnis sapientie vite & consolationis in pectora nostra effundit.

Vnicum igitur de Spiritus sancti diuinitate

rate

tate & ὁμοιοῖα cum eterno patre & Filio
Testimonium illustre ex primæ Epistola Ia-
hannis capite quinto colophonis loco adijciam:
Tres sunt qui testificantur in celo, Pater,
Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres v-
num sunt, hoc est, vnâ & eâdem essentia, di-
uinitate, potentia, maiestate & gloria præ-
diti sunt. Nam quod in sequenti membra,
Tres etiam in terra, spiritus sanctificationis,
Aqua regenerationis, & sanguis redemptio-
nis, de Christo & beneficiis illius testificantur,
hi non simpliciter vnum, sed in vnum esse
dicuntur: vt non substantiâ vnum, sed in v-
num consentire, & prorsus eos inter se, per-
inde ac si vnus testis essent, congruere intel-
ligamus.

Quòd verò contra Diuinitatem Spiritus
sancti obijciunt, Non aliter de D E O senti-
endum & loquendum esse, quàm sicut ipse
de se in suo verbo locutus est, ac imprimis
Nullum fidei articulum non traditum certis
& illustribus verbi diuini testimoniis nos
amplecti debere: Fatemur nos quoq;, nullum
dogma vel articulum Fidei sine expressis ver-
bi diuini testimoniis in ecclesia recipiendum
esse.

esse. Ideo tot argumentis & testimoniis sacra scriptura, Spiritum sanctum verè & naturâ Deum, creatorem cæli & terræ, & vitæ presentis ac æternæ datorem & conservatorem esse, ostendimus. 1. Cor. 12. Omnia hæc efficit vnus & idem Spiritus. Discrimina enim donorum sunt; sed idem Spiritus. Et discrimina ministeriorum sunt; sed idem Dominus. Et discrimina effectuum sunt; sed idem Deus, qui operatur omnia in omnibus &c. Huc omnia testimonia & argumenta paulò ante recitata referantur.

Quòd autem contra æternitatem Spiritus sancti citantur dicta. Ioh. 7. Nondum erat Spiritus sanctus, Quia Iesus nondum erat glorificatus. Et Acto. 19. Imò ne quidem an sit Spiritus sanctus audiuius; manifestum est, non tunc primum extitisse personam Spiritus sancti, neq; tunc primum in pectora sanctorum effusum esse, cum post glorificationem Christi, specie linguarum ignearum supra Apostolos sedit, sed omnibus temporibus, in Ecclesia patrum & Prophetarum, autorem fuisse & conservatorem veræ de Deo doctrinæ & ministerij publici

publici, & lucem Fidei & nouam iustitiam
ac vitam in electis accendisse. 2. Pet. 1.
Omnis scriptura Prophetica non est priuata
interpretationis, Non enim voluntate homi-
nis allata est Prophetia, sed à Spiritu sancto
impulsi locuti sunt sancti Dei homines.
Zachar. 7. Non audierunt Legem & verba
quæ misit Dominus exercituum per manum
Prophetarum priorum. Esa. 63. Spiritus do-
mini ductor fuit Moisis per mare rubrum u-
na cum populo Israel egredientis. Matth.
22. David in spiritu Messiam vocat Domi-
num. Acto. 1. Oportuit impleri scripturam,
quam locutus est Spiritus sanctus per os Da-
uidis. Acto. 28. Spiritus sanctus locutus
est per Esaiam Prophetam. Ebre. 3. Sicut
dicit Spiritus sanctus, Hodie si vocem eius
audieritis. 1. Pet. 1. De qua salute inquisi-
uerunt & scrutati sunt Prophetæ, scrutantes
in quem aut cuiusmodi temporis articulum
prænunciatus ille, qui in ipsis erat, Spiritus
Christi, declararet venturas in Christum pas-
siones & gloriam securam.

Hæc dicta perspicuè ostendunt Spiritus
sancti personam non tunc primum cœpisse,

cum in Apostolos miranda illa linguarum,
sanationum &c. dona effunderentur. Sed i-
nitio Ecclesie, manifesta & visibili specie Spi-
ritus sanctus exhibebatur, & non tantum,
magna quidem illa sed tamen communia o-
mnium piorum dona: fides, gaudium, pax,
dilectio &c. verum etiam singularia & stu-
penda dona, ut subita diuersarum lingua-
rum cognitio, infractum animi robur in con-
fessione et propagatione Euangelij, donum sa-
nandi, & alia miracula edendi, credentibus
conferebantur. Quam visibilem ostensionem
& exhibitionem Spiritus sancti voluit Deus
testimonium esse, quod certo per predicatio-
nem Euangelij omnibus temporibus in pecto-
ra credentium inuisibiliter effundatur, & in
eis ad salutem efficax sit.

De hac visibili & manifesta reuelatione
Spiritus sancti & eximiis illis ac singulari-
bus donis loquitur Christus apud Iohannem
capite septimo, Nondum erat Spiritus san-
ctus, Et duodecim Ephesij in Actis, qui Io-
hannis Baptismate & doctrina imbuti, di-
cunt se, ne quidem an sit Spiritus sanctus? sc.
visibiliter in credentes effusus, audiuisse. Nec
vero

verò ut id obiter intexam, ex hoc Actorum
loco effici potest, Ephesios illos à Paulo reba-
ptizatos esse. Nam in Græca lectione, syn-
categorèmata seu particule copulatiua, quas
discretiuas Linacer vocat, μεν & δε, osten-
dunt, hanc totam orationem, εἶπε ὁ Παῦ-
λος, Ἰωάννης μεν ἐβάπτισε βάπτισμα μετε-
νοίας, τῷ λαῷ λέγων, εἰς τὸ ἐρχόμενον μετ' αὐ-
τὸν, ἵνα πισθώσωσι, ταῦτέστιν, εἰς τὸν χριστὸν
ἰησοῦν. ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ
ὄνομα τοῦ κυρίου ἰησοῦ: Pauli Apostoli ver-
ba esse, quæ auditores Iohannis concionantis
de venturo post ipsum Christo Iesu, affir-
mant à Iohanne in nomen Domini Iesu ba-
ptizatos esse. Duodecim verò illis Ephesius
manus tantùm à Paulo impositas esse (sicut
illis qui Samaria Acto: 8. crediderant) se-
quentia Luca verba testantur. καὶ ἔπιθεν-
τ' αὐτοῖς τὸ Παῦλος τὰς χεῖρας ἦλθε τὸ
πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτούς.

Huc vsq; hæc in scholis excepta pertine-
bant. Sed cum deesse quædam appareat: do-
ctrinam de officio, & beneficijs, Spiritus san-
cti, ab eodem autore, in ferijs Pentecostes ali-
quando breuiter traditam: cuius repetitionem
studiosis non ingratis fere arbitror: adiunxi.

Officium & beneficia Spiritus sancti
præcipua, duabus appellationibus à Christo com-
prehensa sunt, cum nominat eum Spiritum verita-
tis, & Paracletum. Quare hæc duo vocabula bre-
uiter euoluemus. SPIRITVS VERITATIS
nominatur: quia non modò ipse verax & Æ-
quus est, verum etiam autor est & conseruator ve-
ræ de Deo doctrine, in publico ministerio, & mon-
strator veræ interpretationis & dijudicationis om-
nium dogmatum. Ioh. 14. Spiritus sanctus docebit
vos omnia. 1. Ioh. 2. Hæc scripsi de seducen-
tibus vos, & Vnctio, quam accepistis à Deo, in vobis
manet, & docet vos de omnibus, & verax est, &
non est mendacium. Deinde lucem veræ agnitio-
tionis essentie & voluntatis diuinæ, veram agni-
tionem peccati, & veram fidem in paterna beneuo-
lentiâ Dei propter Christum promissâ, acquiescen-
tem, in cordibus audientium Euangelion, accendit.
1. Cor. 2. Quæ Dei sunt, nemo nouit nisi spiritus
Dei. Nobis autem Deus ea reuelauit per Spiritum
suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam pro-
funditates Dei de redemptione & salute nostra.
Præterea ueram inuocationem Dei in cordibus exu-
scitat. Zach. 12. Effundam super domũ Dauid Spi-
ritum gratiæ & precum. Ro. 8. Accepistis Spi-
ritum adoptionis filiorum, per quem clamamus Abba
pater. Postremò ignem veri amoris seu dilectio-
nis Dei

nis Dei & proximi, ex quo omnes ceteræ virtutes emanant, in cordibus piorum accendit. Rom. 5. Dilectio Dei diffusa est cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Gal. 5. Fructus Spiritus est gaudium, pax, dilectio &c. Augustinus Sermone 156. Si vultis viuere de Spiritu sancto, tenete charitatem, amate veritatem, desiderate vnitatem, vt perueniatis ad æternitatem.

PARACLETVS latinè significat aduocatum & Consolatorem, à παρακλησις. Vt enim Aduocatus in iudicio, adest suæ parti, consilio, hortando, consolando: ita eadem officia Spiritus sanctus in piorum animis sustinet. Nam in tanta mentium humanarum caligine, & horribilibus etiam sapientum lapsibus, assidue in omnibus vitæ consilijs & actionibus, Spiritu sancto Governatore opus est, vt Dauid Psal 51. precatur: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi læticiam salutaris tui, & spiritu spontaneo confirma me. Hæc vota quotidie repetamus. Impossibile est enim in tanta confusione dubitationum, in doloribus conscientie, in periculis confessionis, in paupertate, contemptu, acerbissimis odijs, & supplicijs corporum, fidem & pietatem firmam & immotam conseruari, nisi à spiritu sancto animi confirmen-
tur.

cur. Quòd Stephanus ad supplicium ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat: quòd Laurentius, dum in craticula prunis substratis torretur, leto & alacri animo, & vultu ac voce insultat Tyranno: quòd Agatha, Agnes & similes puellæ, inter acerbissimos suppliciorum cruciatus rident, nec ullis franguntur terroribus, aut supplicijs, ut confessionem veritatis abijciant: Hæc omnia solius Paracliti Spiritus sancti beneficia & dona sunt. Qui etiam si hypocritis etiam detur ad usum & miraculum (ut D. Bernardus serm. 3. de Pentecoste loquitur) tamen renatis tantum datur ad salutem, auxilium, & solatium.

Est autem hoc Spiritus sancti beneficium, quòd Paracliti officio in mentibus hominum afflictorum fungitur, admodum insignibus & dulcissimis verborum & figurarum luminibus, expressum in veteri precatone ad Spiritum sanctum directa, quam annotent adolescentes, & quotidie etiam in suis precibus usurpent.

Veni Sancte spiritus, Et emitte cœlitus, Lucis tue radium. Veni pater pauperum, Veni dator munerum, Veni lumen cordium. Consolator optime, Dulcis hospes animæ, Dulce refrigerium. In labore requies, In æstu temperies, In fletu solatium. O lux beatissima, Reple cordis intima, Tuorum fidelium. Sine tuo numine, Nihil est in homi-

homine, Nihil est innoxium. Laua quod est sordidum, Riga quod est aridum, Sana quod est saucium. Flecte quod est rigidum, Foue quod est frigidum, Rege quod est deuium. Da tuis fidelibus, In te confidentibus, Sacrum septenarium. Da uirtutis meritum, Da salutis exitum, Da perenne gaudium.

Quod autem in hoc Hymno dicitur: Da tuis fidelibus sacrum septenarium, & in altero Hymno, Tu septiformis munere, &c. Hæc uerba ad locum Esa. ii. alludunt, ex quo septem dona Spiritus sancti uulgò numerant.

Esa. ii. Et egredietur uirga de stirpe Iessæ, & surculus de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Est autem hic Esaia locus Prophetia de regno Christi, quem ex stirpe Isai seu Iessæ, seu ex posteritate Dauidis, iam propè desperata & extincta, oriturum esse prædicit, & quidem spirituale ipsius regnum fore, in quo Christus Rex & caput Ecclesiæ, non armis corporalibus, sed Spiritu & uerbo suo, spiritualia & æterna dona, corpori suo seu Ecclesiæ communicaturus sit.

Spiritus seu donum sapientiæ, est uera agnitio Dei & filij ipsius Domini nostri Iesu Christi, & fides intelligens & amplectens totam doctrinam à Deo traditam, & nobis ad animæ salu-

tcms

Spiritus sancti, possunt in pauciora genera contrahi, tamen cum in Ecclesia hæc distributio usitata sit, breuem de ea admonitionem volui hoc in loco recitare. Gregorius lib. 31. Moralium: Quia septem Superbiæ vicij nos captos Diabolus tenuit, idcirco redemptor noster, ad spirituale liberationis bellum, septiformi gratia plenus venit. Vitiæ autem superbiæ sunt, Ambitio, Ira, Inuidia, Liuor, Rapina, Voracitas, Luxuria.


Quomodo accipiatur Spiritus sanctus & amittatur.


Impertit autem nobis Spiritus sanctus & sese & sua dona, per duo media, à se instituta & ordinata, videlicet per verbum Euangelij auditum, lectum, cogitatum, & per sacramenta Baptismi & cœnæ Domini, ut Act. 10. dicitur: Cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum. Et in concione Petri, quam die Pentecostes Hierosolymis habuit, cum interrogarent auditores: Quid faciemus ut Spiritum sanctum consequamur? Respondet Petrus: Agite poenitentiam, & baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi, & accipietis donum Spiritus sancti.

Non potest autem ullus homo proprijs viribus aut meritis Spiritum sanctum consequi, Sed ipse spiritus Dei immensa bonitate nos præuenit, & per verbum Euangelij se nobis offert, & veram agni-

agnitionem Dei ac fidem in nostris pectoribus accendit, & mentem ac voluntatem nostram regenerat & renouat. Adiuti igitur à spiritu sancto, accensam fidei scintillam & ceterarum virtutum initia, in nobis excitare, colere, augere, & hunc gubernatorem consiliorum et actionum nostrarum, à Deo petere, & possumus & debemus. Et huc pertinet dulcissima promissio Luc. 11. Quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum S. petentibus. Excitemur itaq; hac amplissima promissione, ut quotidie veris & ardentibus votis à Deo hunc gubernatorem spiritum sanctum in nostra pectora effundi, & dona ipsius in nobis augeri flagitemus. Eò etiam maiori cura & circumspeditione ac modestia mores nostros regamus, ne nostris delictis contra conscientiam factis, Spiritus sanctus contristetur, & offensus ex templo cordis nostri discedat, & nos deserat. Deniq; assidue hanc Davidis precepcionem repetamus: Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum firmum instaura in visceribus meis. Ne proicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi letitiam salutaris tui, & Spiritu spontaneo confirma me.







agn
cenc
rat
acce
init
gub
à D
per
gis
bus
quo
ber
fun
etia
mor
con
&
des
rep

Reference Chart T263 Serial No. 058

31 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

UB Rostock 05/15000

the scale towards document

4.5 5.0 5.6 6.3

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37 38 39 40 41 42 43 44 45 46 47 48 49 50 51 52 53 54 55 56 57 58 59 60 61 62 63 64 65 66 67 68 69 70 71 72 73 74 75 76 77 78 79 80 81 82 83 84 85 86 87 88 89 90 91 92 93 94 95 96 97 98 99 100

Inch

centimeters on UTT

idem in nostris pectoribus ac-
c voluntatem nostram regene-
Adiuti igitur à spiritu sancto,
ullam & ceterarum virtutum
tare, colere, augere, & hunc
liorum et actionum nostrarum,
offumus & debemus. Et huc
promissio Luc. 11. Quanto ma-
lestis dabit Spiritum S. petenti-
hac amplissima promissione, ut
dentibus votis à Deo hunc gu-
sanctum in nostra pectora ef-
in nobis augeri flagitemus. Ed
& circumspectione ac modestia
nus, ne nostris delictis contra
Spiritus sanctus contristetur,
o cordis nostri discedat, & nos
tue hanc Davidis preceationem
ndum crea in me Deus, & Spi-
aura in visceribus meis. Ne
cie tua, & Spiritum san-
auferas à me. Redde mi-
salutaris tui, & Spi-
taneo confirma me.

